


St. Job. P. 1. 1. 1.



1. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de umbratione virtutis aet. Pini, ex Luv. 1. vers 35. Jenae 1688.
2. Gejer / Mart. / Diff. Pigna, nempe prot Evangelium Genes. III. v. 15. ut et Messie mors, Sepultura ac Resurrectio. Jes. LIII. v. 3 = 10. Lipsiae 1645.
3. ——— Diff. Superstitione, Lipsiae, 1660.
4. Gerhard / Joh. Con. / Diff. de umbratione virtutis Aet. Pini, Jenae 1665.

כ"ש הקנה

31

30

EXERCITATIO PHILOLOGICA

DE

CHERUBIM PARADISI

Ad GENES. Cap. III. vers. 24.

QVAM

PRO LOCO

IN AMPLISSIMA CELEBERRIMAQUE FACULTATE
PHILOSOPHICA BENIGNE AC UNANIMI
SUFFRAGIO SIBI CONCESSO

RITE AC SECUNDUM LEGES OCCUPANDO

D' XXIII DECEMBR. A. R. S. ∞ 18 CC XX

IN AUDITORIO MAJORI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT

PRAESES

M. JO. GVILIELMUS HICK

ORINGA-HOENLOICUS E FRANCIS

RESPONDENTE

JO. GVILIELMO CRIEGERO

GORL. LVSATO SS. THEOL. STUD.

VITENBERGAE

LITTERIS CHRISTIANI SCHROEDERI ACAD. TYP.

30

EXERCITATIO PHILOLOGICA

CHEERURBIM
PARADISI

AGGREG. CAP. III. 24.

PROLOGO

IN AULISSIMA CELEBRATIONE FACULTATE
PHILOSOPHICA BENIGNE AC UNANIMI

SUBTILITATE SUI CONCESSO
RITE AC SECUNDUM LEGES OCCURANDO
D. XXIII. DECEMB. 1777. CO. 14. CC. LX.

IN AUDITORIO MAIORI

TURICO ERUDITIONE LEONARDI

FRANCO

M. JO. GUILIELMUS HICK

ORINGA-HOENLICHUS E FRANCIS

RESPONDENTE

JO. GUILIELMO CRIEGERO

GOET. 1777. CO. THEOL. 1777.

VITTEMBERGAE

PRINTIS CHRISTIANI SCHROEDERII AGGREG. TUR.





עמי עטר

PROLOGVS.



Vanta sacrae antiquitatis apud
quos rerum iudices existit, actio sit,
quantaque studii in ævniore scri-
pturae monumentis evolendis
collocati dignitas, vel ex eo satis
abunde liquet, quod eruditiorum
sua certe ætate facile princeps
ISAACVS CASAVBONVS in e-
pistola quadam ad LINGELSHEI-

MIVM perscripta memoriæ prodidit: *Olim, inquit, ve-
nerandus Parens meus, cum ego illi notas in Diogenem of-
ferrem, & de meis inceptis ad rem literariam promovend-
dam multa juvenili modo narrarem; respondit mihi, lauda-
re se quidem propositum meum, καὶ τὴν ἑρπὸς τὰ καὶ ἀνατά
ῶν, ceterum se plaris vel unicam observationem factu-
rum, ad libros sacros pertinentem, quam omnia illa, quo-
rum illi spem feceram. Egregiam sane, ac tanto patre di-
gnam vocem! Quid enim juvat in profanis proficere do-
ctrinis, & marcescere in divinis? Coelestem sectari sapi-
entiam, ac sacri Codicis scrutari mysteria gloriosum est,
cum tanta rerum ibi consignatarum excellentia, tantaque
sublimitas sit, ut si vel millies plura omnium sapientissi-*

A 2

DE CHERVBIM

morum deprehenderentur scripta, quam quod vel in omnium manibus versantur, vel obruta jam vetustate jacent, ne minimam partem tum praestantiae, tum rerum abstrusissimarum ubertatis assequantur. Hinc elegans istud celebrium quondam apud Hebraeos Doctorum effatum, quod in *Talmud. Hierosolymit. Codice* PEAH relatum legimus? *כל העולם כולו נשאל ביום הדין* i. e. *totus mundus ne unico quidem verbo legis aequivalet.* Quo excellentior vero antiquitatum, rerumque caelestium notitia; eo major illarum gravitas, ut tot mysteria, quot puncta, tot arcana, quot apices in se contineant. Ea inexhaustae hujus venae fecunditas, ut semper eruatur aliquid, nec unquam desit, quod scruteris, ut adeo apposite satis, flumen illud eloquentiae, CHRYSOSTOMVS apud B. WELLERUM in *Praefat. Spicil. 1. quaeest. Ebr. Syr.* scribat: *Πασον ῥημάτων Θεῶν πύλαγος ἀχανής ἐστὶ τῶν νοημάτων*, i. e. *quodlibet verbum Dei vastum est mare sensuum.* A quibus parum discrepant ea, quae tum idem dictus Pater *Homil. 21. & 24. super Genes.* tum HIERONYMVS in *Cap. III. Epist. ad Ephes.* BASILIUS *Homil. X. in Hexaemer. LVTHERVVS C. XIII. Gen.* aliique passim inculcant. Et quis est omnium tam ignarus rerum, quem fugiat tritissimum istud Rabbiorum: *אין מלה אחת בלשון הקודש* i. e. *non est in lege vel unica littera, a qua non magni suspensi sunt (doctrinarum) montes.* Quod vero in hisce dictis de toto sacro pronunciatum Codice, id et nostrum, quod jam prae manibus habemus, oraculum prae aliis sibi vindicat. Proh Deum Immortalem! quantopere non minus in eruenda notione, quam describenda forma, habituque Cherubim Paradisi digladiantur eruditi. Natant hic elephantantes, ut cum GREGORIO M. in *epistola ad LEANDRVM* loquar, certant Philologi, & inter tantos conjecturarum, ac sententiarum fluctus ita agitantur, ut pauci

repe.

reperiantur, qui ex his tempestatibus emerſi in portu navigant. Quapropter eo magis veniam me eſſe impetraturum confido, quando de *Cherubim Paradisi* verba facturus minus accurate, quam ut rei gravitas poſtulat, cuncta perfequar, ac breviter ſaltem, pro temporis nobis praefcripti anguſtia, partim de illorum *Forma*, eademque *Symbolica*, partim de *Loco*, quem occuparunt, partim denique de *Habitu*, & *Ornatu* illorum ductu oraculi noſtri edifferam. Conatus ergo noſtros L. B. aequi bonique facies, noſque in tam procelloſo diverſarum opinionum pelago feliciter emetiendo favore tuo ſublevabis, memor illius Hebraeorum, quod *למה נאמר כבוד למה נאמר* i. e. *intentio ſaltem, & conatus boni operis* pro opere ipſo haberi debeat. Adſit ſaltem nobis Deus ſanctiſſimus, & meditationes haec ſerutinio cœleſtis veritatis ſuffultas ſecundet!

S. I.

CUM Iudice SCALIGERO *Lib. I. de L. L. C. IV.* ex nominis interpretatione facilius rei ratio fiat, operae pretium faciemus, ſi, antequam rei arcem aggrediamur, paullo ſtudioſius notionem *Cherubim* excutiamus. Vix autem, ut moneamus, neceſſe erit, hanc vocem, quam uſus ſaltem noſtram fecit, natales ſuos linguae Hebraicae debere. LXX. Interpretes in numero multitudinis modo *Χερουβιμ*, ut Exod. XXV. 29. modo *Χερουβιμ*, idque frequentiſſime, uſurpant, quam poſtერიorem lectionem etiam Divus PAULUS Ebr. IX. 5. probat: id quod contra MOSCHOPILUM in *libris περὶ ὁμοιογενῶν* notes velim, quandoquidem aſſerere non dubitat, *Χερουβιμ*, & *Σεραφειμ* nomina eſſe ſingularia, *Χερουβιμ* vero, & *Σεραφιμ* pluralia. Veteres enim Graeci Chireck Hebraeorum nunc per (ι), nunc per (ει) exprimere ſoliti fuerunt; quod etiam adnotat DRUSIUS *de recta ratione legendi* C. VII. p. 13. Nec iſtud praetermittendum erit, quod illi eandem vocem plerumque in numero multitudinis cum articulo

generis neutrius, rarius cum articulo generis masculini effe-
rant, quod linguae Graecae naturae, ac proprietati adscribes,
cum propria vocabula, terminationis praesertim sibi inusita-
tae, diversis generibus ista enunciet. In Codice Hebraeo
legitur non modo כְּרוּבִים, sed etiam frequenter כְּרוּב. Unde
Masora ad Exod. XXV. 19. tradit: כְּרוּבִים כָּל אֹרֵי הָאֵל וְכָל וְכָל הָאֵל
וְכָל אֹרֵי הָאֵל i. e. *Vox* כְּרוּבִים *quotiescunque in Lege* (i. e. Pen-
tateucho) *occurrit, defectiva est* (h. e. sine י scribitur); *in*
Prophetis vero, & Hagiographis est plena, (h. e. scribitur
cum י) *exceptis tredecim* (locis, in quibus י) *deficit*. De-
ducitur vero כְּרוּבִים a singulari כְּרוּב, quae notio pro diverfi-
tate sententiarum, quas *Critici*. ac sacrarum litterarum in-
terpretes de forma *Cherubim* fovent, aliam atque aliam
etymi rationem nanciscitur. Nonnulli cum D. HIERO-
NYMO *Comment. in Isai.* VI. 2. & SANTE PAGNINO
in *Interpret. Nom. Hebr.* vocem כְּרוּב non simplicem, sed ex
כְּרוּב *cognoscere*, & כְּרוּב *multitudo* compositam esse arbitran-
tur. Et sane non est, cur inficias eamus, eam jam a pri-
scis temporibus ejusmodi significatum obtinuisse. Non
solum enim PHILO Judaeus *Operum Exegeticorum Lib.*
III. *de Vita Moysi* fol. 517. *edit. Colon. Allobr.* 1613. testatur,
vernaculo sermone nominari *Cherubim*, ὡς δ' ἂν ἑλλη-
νῆς εἰποῖεν ἐπὶ ἄνωσιν, καὶ ἐπιστήμη πολλή i. e. *quod Graecis sit*
cognitio, & scientia multa, sed etiam ipsemet JOHAN-
NES METROPOLITA DARENSIS, qui, ABRAHAMO
ECCHELLENSI teste, seculo IV. vixit, simili fere mo-
do apud HOTTINGERVM *Smegmate Orient.* p. 290.
differit: כְּרוּבִים כְּרוּבִים כְּרוּבִים כְּרוּבִים
כְּרוּבִים כְּרוּבִים כְּרוּבִים כְּרוּבִים i. e. *Quid etiam nomen*
Cherubim? multitudo cognitionis, sive abundantia, & opulen-
tia sapientiae. conf. ISABAR ALI in *Lexic.* apud eundem
HOTTING l. c. p. 291. CLEMENS ALEXANDR. *Syro-*
mat. Lib. V. p. 563. DIONYSIUS *coelest. Hierarch. C. VII.*
ORI-

ORIGENES *Homil. V. & XI. in Num. P. I. fol. 108. & in Ezech. P. II. fol. 135.* ANASTASIVS *Sermone de Deipara.* HIERONYMVS praeter loc. antea cit. *Comment. in Ezech. 10. in fine, & in fine Epist. ad Ephes. & Epist. 103. ad Paul. & 103. ad Marcell.* AVGVSTINVS *Quaest. 105. in Exod. ut & in Psalm. 17. & 89.* PHILASTRIVS *Haeresi 102.* THEODORETVS in *Ezech. c. X. 20.* SOPHRONIVS in *encomio Angelorum Tom. II. Bibl. SS. Patrum,* ISIDORVS BERNARDVS in *modo bene vivendi ad Sororem Serm. 18.* LOMBARDVS 2. *Sent. dist. IX.* VILLALPANDVS Tom. II. *Explanat. in Ezech. P. II. fol. 314.* MARI NVS MERSENNVS *Quaest. in Genes. C. III. fol. 1407.* CORNELIVS A LAPIDE in *Exod. C. XXV. 18. fol. 515.* JO. MORINVS de *Ord. Eccl. p. 493.* GERHARDVS *Comment. in Genes. p. 124.* HACKSPANNIVS *disp. de Angel. Nom. §. 3. Syllog. Disput. p. 272. aliique.* Cum vero haec derivandi ratio analogiae linguae S. minime respondeat, nemo sane, subductis probe rationibus, nobis succensebit, si in RIVETI *Exercit. 41. in Genes. p. 167.* sententiam pedibus eamus, ac quomodo fieri possit, ut a multitudine scientiae derivetur vox כרר, nos hucdum videre non potuisse fateamur. conf. RIBERA de templo *Lib. II. C. VI.*

§. II.

Non multo minor eorum est numerus, qui originem hujus vocis ex lingua *Aramaea*, seu *Chaldaica* repetunt, in qua רבית vel רבית puerum denotat, רי esse, si originem illius spectes, quidem litteram servilem, usu tamen in radicaem transire. Cui etymologiae subscribunt PAVLVS FAGIVS *Comment. ad Genes. C. III.* DRVSVS *Comment. ad loc. cit.* ESROMVS RVDINGERVS *Paraph. in Psalm. p. 163.* ALCAZAR in *Apoc. IV. p. 383.* BECHMANNVS de *Origin. LL. p. 972.* ASLACVS *Phys. Christ. p. 543.* MAYERVS *Phil. S. p. 303.* MICHAEL SCHNEIDERVS *Angelolatr. p. 48.* GEIERVS *Comment.*

in

in *Pfalm. XVIII. II. fol. 214. edit. Amstelod. & e Judaeis R. ABEN - ESRA Comment. in Gen. loc. cit. & Exod. C. XXV. 19. R. DAVID KIMCHI Comment. in Ezech. C. X. 1.* ac plerique fere recentiores Judaei secuti auctoritatem *Tractatus Talmudici Chagiga*, ubi fol. 13. 2. Talmudistae de hujus vocis etymo ita sentiunt: *קרי כרובים טק כרובים* קרי כרובים טק כרובים i. e. *Quid est Cherub? idem quod כרובים sicut puer. Nam sic in Babylonia puerum vocant כרובים* vid. JO. FRISCHMUTHI *disp. de arca Foed. p. 31. & GREG. MICHAELIS notas in JACOBI GAFFARELLI Curiosités inouyées p. 8. seq.* Quicquid autem horum sit, indoles Linguae Hebraicae vix fert, ut littera servilis actu ipso naturam radicalis induat, haecque insuper etymi ratio vel impurum Chaldaicum, vel vagum, & non usque adeo regulis Grammaticis adstrictum Rabbiniſmum sapit, quem Scriptoribus S. affingere religioni ducimus; hinc cum DRVSIO *Comment. ad Exod. XXV. 19. LVDOV. CAPELLO Comment. in Gen. fol. 325. LVDOVICO DE DIEV Annotat. in C. III. Genes. fol. 5. EDMUNDO CASTELLO Lexic. Heptaglotto col. 1795.* eam merito rejicimus, quandoquidem simili ratione facile quis cum R. SAADIA *Comment. ad Dan. C. II. & B. HIERONYMO apud MATTHIAM MARTINVM in Lex. Etymol. fol. 219.* colligere posset, Chaldaeos fuisse Daemones, quoniam ipsa vox כרובים sonat כרובים quasi Daemones. conf. MUNSTERUS in *Comment. ad Dan. II. & Prologus* dissertat. nostrae praeliminaris de *Divinationibus Babylon. ad Ezech. XXI. 21.* nuper habitae. Ex Syria ortum ejus arcessunt cum GREGORIO FRANCI in *Lexico Sanct. Nom. CXCVII. p. 249. EDMUNDO CASTELLO loc. cit. & JOANNE SPENCERO de Legibus Hebraeorum Ritualibus Lib. III. Diff. V. C. III. Sect. I. p. 231. JOANNES CLERICUS Comment. in Exod. C. XXV. fol. 127. B. AUG. PFEIFFERUS Dub. Vexat. Cent. I. Loc.*

PARADISI.

Loc. X. p. 35. & D. BUDDEUS *Hist. Eccles. V. T. Per. II. Sect. II. p. 693.* vocemque כַּרְבַּי a Syrorum כַּרְבַּי fortis, valens, & robustus fuit, derivant. Nec usque adeo incommoda haec etymologia videri poterit, cum non solum ex PHILONE *Lib. III. de Vita Moysi*, qui Cherubim ait esse τὰς πρεσβυτάτας, καὶ ἀνωτάτω δὲ τοῦ ὄντος δυνάμεις i. e. antiquissimas, supremasque potentias ejus, *Qui est;* sed etiam ex nonnullis Scripturae S. locis i. Sam. V. 4. 2. Reg. XIX. 15. aliisque quadantenus conjicere volunt, antiquos Hebraeos huic voci potentiae notionem assignasse, ut adeo ipsemet THEODORVS apud THEODORETVM *Quest. XL.* in Genesin asseverare non dubitet: *χερσβίμ καλεῖ ἢ γραφὴ πᾶν τὸ δυνατόν.* i. e. *Scriptura vocat Cherubim omne, quod potens est.* Ut nihil de eo dicam, quod radices linguae Hebraicae hodie deperditae a nonnullis frequenter ex lingua Syriaca repeti soleant. Quia vero haec assertio famosissimis FRANCISCI MONCEJI (cujus librum sub titulo *Aaronis purgati Atrebatii* anno 1606. primum editum, jussu Pauli V. Praefulis Romani in indicem librorum prohibitorum anno 1609. relatum, non solum ROBERTVS VISORIVS Doctor Sorbonnicus peculiari commentatione anno 1609. typis exscripta, sed etiam JAC. BONFRERIVS *ad Exod. XXXII. 4. p. 546.* aliique fufe exploferunt vid. JO. FRID. MAYERI *Tabula prooemialis in FRANCISCI MONCEJI Aaronem purgatum editioni Lipsiensi praemissa*) JACOBI GAFFARELLI nimium quantum novitatis, & curiositatis studio abrepti *Lib. Curiosités inouyées*, & qui hos sequuntur, HAMMONDI *in dissertat. de Idololat. s. 38.* HVGONIS GROTTII *Comment. ad Exod. XXV. 19.* SPENCERI *loc. cit.* JOANNIS CLERICI *loc. cit.* aliorumque placitis receptaculum quoddam subministrat, ac ex ipsum judicio formam τῶν Cherubim delineat, cum tamen officium, & usum

& usum *Cherubim* voce כרוב innui vero similis sit, ei non immerito nuncium remittimus, ac in medio relictis aliorum derivationibus maxime allusivis contendimus, hanc vocem originem sui trahere a radice Hebr. כרב facta litterarum כ, & ר transpositione, ita, ut כרוב secundum primam suam originem idem sit, ac כרוב *currus, vehiculum*. Id quod evinci posse putamus 1.) *ex Analogia Grammatica*. Non enim pauca in sermone Hebraico passim occurrunt vocabula, quorum ortum vix alias, quam facta litterarum commutatione, omnibus Linguis Orientalibus communissima, erues. De eo si quis dubitabit, adeat B. FOERSTERVM Praefat. in *Diction. & JACOBVM LEONITIVM Tractat. de Cherub. 2.) ex Analogia Scripturae*. Scriptores enim S. non modo *currus*, aut *vehiculi* titulum, ab officio, & usu, quem in deserto praestiterunt, desumptum τοῖς Cherubim sermone vulgari imposuerunt, vid. *Paral. XXVIII 18. Eccles. XLIX. 10.* sed etiam easdem voces saepissime secum commiscuerunt conf. *Pf. XVIII. 11. cum Pf. CIV. 3.* Unde Angeli nunc Dei כרוב, seu *currus*, *Pfal. LXVIII. 18. 2. Sam. XXII. 11. Psal. XVIII. 10. Zach. VI. 1. 5.* nunc Deus super *Cherub* vehi dicitur, quibus sine dubio hi isti indicem quasi digitum extendere voluerunt ad *Cherubim* Angelorum typos, qui loco vehiculi, ac *currus* militaris sistuntur, quo Deus tanquam supremus Dux, & Imperator exercituum olim per Hebraeorum castra vehebatur, sequé tanquam summum belli Ducem exhibebat, Regum, Imperatorumque, curru insidentium, more, quandoquidem illi, qui rerum gubernacula tenebant, olim curru vehebantur. 3.) *Ex mala gentilium affectatione*. Nisi enim nos omnia fallunt, Gentiles sane praestigiis Satanae decepti, & impia superstitione ducti hunc τὸν *Cherubim* usum aemulati fuerunt. Quis enim est, quem lateat ἔχουμα τῶν πατέρων τῶν Θεῶν ἰσθῶν, i. e. *vehiculum Deorum Patrum sacrum* apud PLVTARCHVM in *Vita Camil.* ἔχος ἁγίος

ἄγιος, i. e. *vehiculum Martis* apud DIONEM in *Circense*
Pompa? Nec solum Scriptura S. *currus Solis* meminit 2.
 Reg. XXIII, 11. sed & ipsemet PLATO in *Phaedro* magno
 Jovi πτηνὸν ἄρμα, i. e. *currum alatum* attribuit, cum apud
 SCHEFFERUM de *re vehicul.* I. c. ult. ab ipso Jupi-
 ter ita introducitur, ὁ μὲν δὲ μέγας ἡγεμὼν ἐν θρανῷ ζεὺς
 πτηνὸν ἄρμα ἐλάυνων i. e. *magnus Imperator coeli Jupiter*
curru vectus alato. Hinc JUSTINUS MARTYR in co-
 hortatione ad Graecos, num aliunde, inquit, institutus
 Plato, quam e lectione Propheticarum historiarum, Jovem
 in coelo curru alato vehi affirmat: 4.) Ex cognata voce A-
 rabica ڤرڤ, quae navem vectariam a vehendo dictam signifi-
 cat. vid. SCHINDLERI *Lexicon Pentaglotton fol. 894. 5.)*
 Ex consensu Philologorum, ac Criticorum Clarissimo-
 rum, B. FOERSTERI in *Dict. Hebr.* PAGNINI in *The-*
sauro Ling. S. p. 1219. MERCERI *ibidem*, CASPARIS
 SANCTII in *Comment. ad Ezech. X.* p. 218. VILLAL-
 PANDI *Comment. in Ezech. C. XXVIII. 14.* DELRII
Comment. Cap. III. Gen. p. 12. HIERONYMI a PRADO
Comment. ad Ezech. X. p. 213. CORNELII a LAPIDE
Comment. in Cap. I. Ezech. p. 956. RIVETI *Exercit. Bibl.*
in Exod. C. XXV. GESNERI *Comment. in Genes. CALO-*
VII Comment. in Genes. C. III. P. II. p. 441. LVDOVI-
 CI de DIEU *Comment. in C. III. Genes. fol. 5.* EDUARDI
 LEIGHII *Crit. S.* p. 233. MICHAELIS LIEBENTAN-
 ZII *Exerc. 1. de Cherubim Propitiatorii apud B. AUG.*
 PFEIFF. *Dub. Vex. Cent. 1. Loc. X. p. 35.* JACOBI GUSSETII
Comment. Ling. Heb. fol. 409. & quem primo loco no-
 minare debuissim, Excellentissimi JO. CHRISTOPHO-
 RI WICHMANNSHAUSENII LL. OO. Doctoris ac Phi-
 lologi longe lateque Celeberrimi. p. t. *Facultatis Philosophi-*
cae Decani Summe Spectabilis, Patroni, Hospitis, ac studio-
rum nostrorum Promotoris summa animi religione aeter-
num

num prosequendi, in diss. de Velis Tabernaculi, atque Templi §. 10. p. 19. sq.

§. III.

Investigata *etymi* ratione vel tribus saltem monemus, quod praeter Viri nomen כרוי Efr. II. 29. haec vox *duplici* adhuc significato, nunc *proprio*, nunc *tropico*, gaudeat. *Priori modo* si vocem כרוי spectes, nihil fere obstat, quo minus accedas R. ABEN-ESRÆ sententiae, qui in *Comment. ad Gen. III.* non immerito contendit, כרוי nomen *universale ad omnem figuram exprimendam accommodatum*, quandoquidem hoc nomine significari constat, *vel rem spiritua-* lem, *vel corporalem*, quae tanquam volucris alis expansis vehitur, aut ob motus celeritatem vehi, ac volare videtur; id quod cognosci quodammodo licet ex *Ezechiele*, qui formas singulas animalium, quae vidit, vocat כרוי. Nec omni absque causa factum fuisse putamus, ut vox haec *nunc* Angelis, *nunc* brutis designandis interserviat, quam Clarissimus Judaeorum Doctor R. MOSE MAIMONIDES, qui ob sagacitatem omni praedicatione majorem iudice PETRO CUNÆO *de Rep. Heb. praefat.* & exquisitam rerum sacrarum notitiam hoc communiter elogio ornatur כרוי אלהים אלהים אלהים i. e. *A Mose (Propheta) usque ad Mosen (Aegyptium) non fuit quispiam, sicut iste Moses*, in *pererudito libello More Nevochim P. I. C. XLIX. p. 73.* eleganter aperire conatur, cujus egregium, ac ab ineptiis Rabinicis maxime alienum sermonem exhibet JO. BUXTORFFIUS in *versione latina Basil.* 1629. p. 23. *Posteriori modo* כרוי dicuntur Reges & principes Ezech. XXVIII. 14. 16. Quemadmodum enim Angeli inter omnes creaturas natura, potestate, ac gloria praestant; ita etiam Reges & principes inter reliquos mortales maxima potentia, majestate, ac dignitate praediti sunt. vide PETRI RA-

RAVANELLI *Bibliothecam S. fol. 261.* & GLASSII *Pbilologiam, ac speciatim ejus Rhetoricam S. Tract. I. C. X. p. 1205. sq. ex edit. Lips. 1684.* quorum hic insuper addit ad eundem modum ventis, procellis, nubibus, & tempestatibus ob vehementiam, celeritatem, & magnificos effectus nomen *Cherubim* tribui Pf. XVIII. v. & 2. Sam. XXII. 11. Prior significatio etiam hic obtinet.

§. IV.

Instituti vero ratio jam a nobis exigit, ut *formam* horum *Cherubim* Paradisi inquiramus. Hoc dum molimur, tantis obscuritatum voraginibus abripimur, ut ex iis tuto emergere, ac diversos tricarum scopulos effugere *Deli* cujuspian natatoris unice sit, siquidem in tanta Interpretum, quos in hoc negotio consulimus, multitudine vix unum deprehendimus, qui se in hanc causam demiserit, eamque exquisitius pertractare sustinuerit, ut adeo hic quoque obtineat fere istud JOSEPHI, *Antiquit. L. III. C. VI. τὰς δὲ χερυβείμ. εἰδὲς ὅτι αἱ τῶν εἰπῶν, εἰδὲ εἰδῶσαι ὀνόματα. i. e. Cherubos quod dicitur, quali figura, ac forma essent, nemo dicere, vel concipere potest.* Sed cum semel jam jacta sit alea, recensetibus, salvo tamen aliorum judicio, nostram qualemcunque opinionem, & videbimus, quo usque annuente divini Numinis gratia ex sacrarum litterarum meditatione, & collatione in hac abstrusissima materia proficiamus. Figuram hic aliquam, ac formam fuisse conspectam eo minus in dubium vocari poterit, quandoquidem statim Sacer Scriptor mentionem facit flammæ gladii agitati, utut ceteroquin altum ipsi silentium sit, quali figura isti *Cherubim* apparuerint, flammamque gladii formam referentem in tot diversas partes agitarint. Quantum vero ex accuratori vocis כרובים consideratione, ac communi, qua isti apud Mosén describuntur, figura augurari licet, a vero non usque adeo alienum erit, statuere, formam horum *Cherubim* ad similitudinem illo-

B. 3.

rum,

rum, quos iste in monte Sinai vidit, ac ex mandato Divino in arca foederis efformari, caelarique curavit, quam proxime accessisse, quia Moses in praesenti oraculo nostro de his Paradisi *Cherubim*, tanquam de iisdem, ac quoad figuram externam fatis jam notis loquitur, ut adeo copiosa illius descriptione superfedeat. Id enim nobis persuademus, unumquemque facile esse admitturum, quod a veri similitudine minime abhorreat, Mosen Geneseos historiam una cum reliquis libris in deserto contextuisse, postquam tabernaculum cum omni suo apparatu jam esset exstructum. conf. STEPH. MORINI *dissertationem de Paradiso terrestri fol. 14.* SAMVELIS BOCHARTI *Geographiae S. praemissam.*

s. V.
His praestructis nostrum erit, paulisper dispicere de *ferma*, ac *figura Cherubim* in cacumine montis Mosi coelitus ostensa, ac ab eo per *Bezaleelem* in arca foederis effabricata. Omissa vero prolixiori infirmarum, quae hic a nonnullis Criticis, ac Philologis foventur, sententiarum discussione, eaque commodiori tempori reservata contendimus, *Cherubim* hos Propitiatorii integram puerorum formam repraesentasse, quandoquidem Angelos, quorum Symbola *Cherubim*, ut infra audiemus, fuerunt, figura juvenis, sive blandi adolescentis apparuisse ex Scripturae S. monumentis liquet. Sic apparuerunt olim HAGARAE ancillae Sarai *Gen. XVI. 7.* ABRAHAMO *C. XVIII. 2. & C. XXII. 11. Hebr. XIII. 2.* LOTO *Gen. C. XIX. 1. sqq. Hebr. XIII. 2.* JACOBO *Gen. XXVIII. 12. & XXXI. 11. & C. XXXII. 1.* BILEAMO *Num. XXII. 22.* DAVIDI *2. Sam. XXIV. 17.* ELIÆ *1. Reg. XIX. 5. 2. Reg. I. 3.* ELISÆO & servo ejus *C. VI. 17.* ESAIÆ *VI. 6.* DANIELI *VI. 22. & IX. 21. & X. 11.* ZACHARIÆ *Prophetæ Zach. I. 8. 9.* JOSEPHO, viro *Mariae Matth. I. 20. & C. II. 13. 19.* CHRISTO *Matth. IV. 11. Luc. XXII. 43.*
MA-

MARIÆ utrique *Matth. XXVIII. 2. 5. Marc. XVI. 5. Luc. XXIV. 4. it. v. 23. ZACHARIAE* Sacerdoti *Luc. I. 11. MARIAE* Virgini *v. 28. Pastoribus C. II. 9. MARIAE MAGDALENÆ* *Joh. XX. 11. APOSTOLIS Act. I. 10. & C. V. 19. PHILIPPO C. VIII. 26. CORNELIO C. X. 3. 4. & C. XI. 13. PAULO C. XXVII. 23. JOANNI Apoc. I. 1. & C. XIX. 17. C. XX. 1. & C. XXII. 6.* Jam cum ex his luculentissime pateat, Angelos de coelo missos humanam gestasse formam, quis quaeso tam perfritæ frontis erit, qui sibi, aut aliis persuadere velit, eorum imagines, ac emblemata aliam, ac a puerorum, sive adolescentum similitudine maxime recedentem formam prae se tulisse. Quid quaeso causæ reddi potest, cur *Cherubim* extra sanctuarium formam juvenilem gererent, intra vero, speciem vel *vitulinam*, ut multi cum MONCEJO loc. cit. contendunt, vel *ex humana, leonina, bovina, & aquilina mixtam*, quae HIERONYMI a Prado *Comment. in Ezech. P. I. Sect. V.* aliorumque sententia est, habuisse viderentur? Accedit & illud, quod *Cherubim* a Salomone effabricati, qui a *Cherubim* Mosaicis saltem quoad partium situm, non vero quoad formam ipsam differebant, non aliam praeter humanam exhibuisse figuram ex *2. Paralip. III. 10.* liquido constet, siquidem Salomon illos elaborasse dicitur *עצמות צעצעים* i. e. ut R. SAL. JARCHI explicat, *עצמות צעצעים* i. e. *Opere puerorum*, quam interpretationem approbat R. DAVID KIMCHI *Libro Rad. R. Mardochai Nathan in Concord. Santes Pagninus in Thesauro LL. SS. a MERCERO auctius edito col. 2393. & ARIAS MONTANUS in versione Latina.* Huc etiam facit illa a *Talmudistis* olim *Tract. Talmud. SUCCAH fol. 5. 2. & CHAGIGAH fol. 13. 2.* exagitata de forma *רָאֵב Cherubim* controversia, quae tandem ita decidebatur, quod hi fuerint facie humana, hoc saltem cum discrimine, quod facies hominis sit facies major, *רָאֵב Cherubim*

rubim vero minor. Unde notatu digna est illa ONKE-
 LOSI de *Cherubim* assertio in *Tract. Talmud. BAVABA-*
THRA fol. 99. i. annotata, quod hi isti fuerint *עופ*
ומוצאים פניהם בתלמוד הנפטר ארבע
i. e. forma puerorum, &
diverterint facies suas, sicut discipulus discedens a Magi-
stro. Nec ab his dissentiunt recentiores Hebraeorum
 Magistri, qui unanimiter eodem, quem hactenus demon-
 stravimus, modo formam horum *Cherubim* delineant. Ita
 R. SAL. JARCHI *Comment. ad Exod. C. XXV. 19.*
הכרובים דמות שלנוק עינוק לכה
i. e. Cherubim habuerunt speciem fa-
ciæ adolescentum. R. LEVI BEN GERSON *Comment. ad*
1. Reg. VI. 24. *הכרובים הם בצורת בן אדם מן הקטנים*
i. e. Cherubim fu-
erunt instar hominum juniorum. R. ABEN-ESRA *Com-*
ment. ad Exod. C. XXV. 19. *הכרובים הם בני נעורים*
i. e. Dixerunt majores nostri, Cherubim formam duorum
puerorum prae se tulisse. R. DAVID KIMCHI in *Libro*
Radicum, ex quo eadem R. SALOMON BEN MELECH
 in *Comment. suum in Exod. C. XXV.* retulit: *ורזל עמו*
הכרובים הם בני נעורים
i. e. Rabini b. m. po-
nunt Caph esse litteram servilem, & dicunt Cherub idem
significare, quod כרובי h. e. quasi puer, seu adolescens, quod
puerorum formam habuerunt. R. MOSE MAIMONIDES
 in *More Nev. P. III. C. I.* *הכרוב הוא עור ליונים בני אדם*
i. e. Che-
rub est homo aetate minor. ABARBANEL *Comment. in*
Exod. C. XXV. *הכרובים הם בני נעורים*
i. e. hic nosse sufficit, Cherubim forma
puerorum parvorum, alisque praeditos fuisse. Eadem in-
 culcat *Comment. in 1. Reg. VI. 23. & 2. Reg. C. VIII. fol.*
228. col. 4. ut & in Comment. ad Ezech. C. X. 14. ubi addu-
ctis Talmudistarum, & R. Aben-Esrae sententiis ita conclu-
dit: הכרוב הוא בני נעורים הם בני אדם נכבד הואל ופי אף נעים
i. e. Hoc
verissimum est, Cherubim habuisse formam humanam glo-
riofam valde, pulchram, & amoenam; simulque paucis
interpositis hanc subnectit rationem שהם יושבים בנעמים
 וזה

וְהָיָה כִּימֵךְ מִלֵּךְ עַן כִּלְדֵיךְ אֲשֶׁר אִין בְּנֵיךְ לֵב מוֹת:
i. e. quo doceatur, eos esse natura sua rationis compotes, & ab omni defectu immunes infantum instar, qui nulla labe contaminati sunt.
 Quorum consensui adstipulatur quoque B. LVTHERVS
Comment. in Gen. Opp. Witteb. Lat. Tom. VI. fol. 53.
 CARTWRIGHTVS *Comment. in Exod. XXV. BENE-*
 DICTVS ARIAS MONTANVS *Antiquit. Judaic. Lib.*
V. p. 80. edit. Lugd. Batav. Anno 1593. MENOCHIVS *Lib.*
V. DE REP. HEBR. C. II. Quaest. IX. fol. 430. LUDOV.
 DE DIEU *Critica S. fol. 5.* GEIERVS *Comment. in Psal.*
XVIII. II. edit. Amstelod. fol. 214. MELCHIOR LEIDE-
 CKERVS *de Rep. Heb. Lib. VIII. C. II. fol. 505.*

§. VI.

Sed ut e diverticulo in viam redeamus, fatis jam nos probasse censemus, formam *Cherubim*, qui Mosi in monte Sinai conspecti, ac ab ipso deinde in tabernaculo effigiati fuerunt, formam puerorum retulisse. Cum itaque *Cherubim* Paradisi quoad formam externam illis minime absimiles fuerint, quia, uti jam supra annotavimus, solummodo *רָאָה Cherubim* mentio injecta fuit, neglecta illorum *formali* (ut ita loquar) descriptione, siquidem forma *Cherubim* ex crebris non minus apparitiqibus, quam figuris emblematicis in tabernaculo deprehensis, optime Judaeis cognita, ac perspecta fuit; parum sane abest, quin asseramus, *Cherubim* Paradisi formam puerorum, sive adolescentum habuisse. Cui sententiae nostrae suffragantur ea, quae praeter VATABLVM *Comment. ad h. l. CORNELIVS a LAPIDE, Comment. ad loc. cit. fol. 89.* in medium profert: *Videntur hi Cherubim fuisse humana forma induti: nam habent, & vibrant flammeeum gladium, & in omnes partes versatilem, ut eo feriant eos, qui Paradisum ingredi volent.* Fallitur itaque maximopere THEODORÆTUS *Cyrensis Episcopus* apud BELLARMINVM *C. XVI. de gratia primi hominis, & SIXTVM SENENSEM*

C

Bibli-

*Biblioth. Sanct. L. V. Annot. 58. PROCOPIVS GAZÆVS Comment. ad. loc. cit. MVSCVLVS Comment. ad loc. cit. CHAMIER apud FRISCHMVTIVM disput. de arca Foed. §. 6. p. 27. qui grandes quasdam, ac horribiles volucres, terribilesque animalium figuras ad hortum Paradisi constitutas esse existimant. conf. CALOVII Bibl. Illustr. C. III. fol. 252. edit. Francof. Multo minus nobis probatur opinio JACOBI CHYL, novi quondam e Graecia haeretici, qui teste eodem SIXTO SENENSI loc. cit. nova plane, ac inaudita hypothesi ductus palam ac publice profiteri non veritus fuit, *Cherubim* Paradisi non significare spirituales aliquam substantiam, sed statuam ad similitudinem pueri formatam, virile quoddam simulacrum horribili forma, larvaque circumtectum, quod Deus expulso Adamo metum incussurus praeforibus Paradisi posuerat: sicuti apud Agricolas mos invaluit, qui laceris humanarum vestium pannis involutos pappos in saxis, & hortis defigunt, ut aves a seminum, frugumque pastu absterreant. Quis enim quaeso est, qui haec talia cum circumstantiis oraculi nostri conciliare queat? Effectus sane ejusmodi a Sacro Scriptore hisce *Cherubim* attribuuntur, qui cum istis volucris, quas inepte fingunt, minime cohaerent, multo minus in statuam omnium motus expertem cadunt. Custodia Paradisi non monstrosas volucres, nec simulacra lignea, aut lapidea, sed substantiam intellectu praeditam requirit. Nec unquam ad credendum adduci possumus, Protoplastos tam metuelosos fuisse, ut se istis terculamentis ab usu arboris deterreri passii fuerint. Talibus hic opus erat custodibus, qui longissime potentia eos, ac robore vincebant. Quapropter inania haec somnia non minus analogiae Scripturae S. quam fidei, consensuique celeberrimorum Interpretum, ac Philologorum maxime contraria merito repudiamus.*

§. VII.

Multo minus GROTHII Interpretatio locum habebit, quando *Comment. ad loc. cit.* omni figura *Cherubim*, ut videtur, fusque deque habita, totum hunc verborum apparatus de operibus Dei, extra ordinem adhibitis, accipit, in falsissimamque, qua famosissimis JO. BECKERI erroribus aquam (ut cum *Plauto* loquar) frigidam suffundit, delapsus opinionem, existimat, Hebraeo in more positum esse, quod omnia opera, quibus Deus extra ordinem utitur, appellentur *Angeli*, ut *venti*, & *ignis* *Psal.* CIV. 4. Sic quod in *Psal.* XVIII. II. Deus insidere *Cherubim* dicatur, *Psal.* CIV. de ventis exponi putat. Sed ne rem sicco plane transeamus pede, modum hic fingit GROTHIVS, quem non modo omnes *Philologi*, & *Critici*, sed etiam ipsimet *Hebraei* nesciunt, nec loca ab eo in medium adducta ostendunt, quin potius probant, per *Cherubim* Angelos, qui cum ventis, & igne ob celeritatem, agilitatem & efficaciam comparantur, intelligi. conf. HIERONYMVVS, THEODORETUS EUTHYMIUS, & HACKSPANNIVS in *notis ad Psalm.* CIV. 4. Et cum Deus insidere *Cherubim* dicitur, ratio habetur visionis istius in monte Sinai factae, ac in arca foederis expressae, quandoquidem Deus ibi ita Mosis apparuit, sui que regiminis majestatem eo ipso declarare voluit. Sessio enim regiminis indicium est. Unde *Hebraei* quatuor יושב i. e. *sessiones*, quot ימות i. e. *secula* numerant. 1.) *Sessionem* in seculo Angelorum, unde Deus vocatur: יושב כרווב i. e. *sedens inter Cherubinos*. 2.) *Sessionem* in seculo Coelorum, unde Deus dicitur יושב בשמים i. e. *sedens in Coelo*. 3.) *Sessionem* in seculo terrae, seu inferiori, unde Deo titulus tribuitur: יושב על ארץ חלק i. e. *sedens super circulum terrae*. 4.) *Sessionem* in Ecclesia Israelis, unde Deus nominatur: יושב יושב יושב i. e. *Ita sedens, ut sit omnimoda Laus Israelis*. Vid. AVGVSTVM VARENIVM in *Colleg. Esaiian.*

disp. 8. in C. VI. p. 242. Mitius adhuc sentit R. SAL. JARCHI, qui in *Comment. ad loc. cit.* Cherubim per מלאכי תהלה i. e. *Angelos Exterminatores*, seu *Diabolos explicat.* Cui interpretationi applaudit *Auctor Versionis Juddaeo-Germanicae Amstelodamensis*, qui verba Textus nostri ita reddit: מלאכי תהלה מלאכי תהלה i. e. *Also hat Gott vor den Garten Eden sehen lassen die Engel des Verderbens.* In quam sententiam forte nimia Kabbalae admiratio eos induxit, quia si Kabbalae *Theoreticae*, ejusdemque *artificialis* partem, quam Judaei משיקק i. e. *Notaricon* vocant, tantisper excutimus, vocemque, quae in nostro oraculo occurrit, משיקק ad trutinam istius expendimus, patet, litteras singulas vocis משיקק exprimeret לים i. e. *lamias*, מרים i. e. *Daemones*, מוקים i. e. *nocentes* (Ita enim Kabbalistae Diabolos quoque vocant ob ipsorum maximum hominibus nocendi studium) ומות רעות i. e. *& Spiritus malos.* conf. מות רעות *ad h. l.* Sed missis his nugis Kabbalisticis veritati magis consentaneum erit, asseverare, *Cherubim* hos, juvenili utut figura praeditos, *Symbolice* Angelos bonos repraesentasse. Id quod 1.) cum *circumstantiis Textus* optime congruit. Dicuntur enim excubias agere, & custodire viam Paradisi, ne Adamus in hortum, quo semel erat pulsus, revertatur, fructumque de arbore vitae capiat. Haec vero Paradisi custodia ministros gratiosos, non Spiritus malitiosos decet. 2.) Cum *Regulis justitiae.* Poena enim infligenda est per judicem, aut ejus ministros, non vero per reum. Cum itaque Diabolus fraude sua Adamum ad peccandum induxerit, ac adeo majori se reatu adstrinxerit, aequum sane minime fuerit, ut hic impostor ad poenam Adamo inferendam adhiberetur. Quomodo enim iste, qui homini causa fuit ad culpam, praeterea etiam esse potuit instrumentum ad poenam? Sequeretur sane Diabolum fuisse, & seductorem, & simul actorem culpae, et, qui ante erat reus, reique socius.

focius, fuisse etiam vindicem, ac iudicis instrumentum. Quapropter iustitiae divinae magis convenit, ut executio poenae ab Adamo expetendae ministris ipsius sanctissimis demandaretur, quandoquidem Adamus detestando Sataanae commercio ab ipsorum simul, & Dei, cui serviunt, consortio se abduci passus fuit. Nec 3.) verosimile est, Deum Diabolis hanc custodiam deferre voluisse, cum facile hi fructum arboris vitae decerpere, eumque primis hominibus offerendo, ac vitae immortalitatem promittendo ad sui amorem, & cultum pellicere potuissent. Ut taceam istud, nomen *Cherubim* in Sacro Codice folis Angelis bonis, eorumque figuris emblematicis tribui, nec ex hoc, neque alio Scripturae S. loco, aut ullo exemplo confirmari posse, Diabolis, malisque geniis istud adscribi. 4.) Minime alienum est, Deum iustissimum in inferendis supplicii Angelorum bonorum ministerio uti. Neminem enim, qui sacrarum litterarum monumenta, obiter saltem, ac per transfennam, ut ajunt, inspexit, fugient severissima Dei iudicia in *Sodomitis Gen. XIX. 11. Exercitu Sancheribi 2. Reg. XIX. 35. 2. Paral. XXXII. 21. Es. XXXVII. 36. Nebucadnezare Dan. IV. 13. 14. 17. 23. 31. Herode Act. XII. 23.* aliisque puniendis ab Angelis bonis exercita. Immo quotusquisque est, qui ignoret, Angelum ad exequentia Dei iudicia ablegatum, districtoque gladio instructum apparuisse primum asinae *Bileami*, ac dein oculis apertis ipsimet *Bileamo*? Num. XXII. 22. 23. Simili modo sex Angeli forma hominum conspiciebantur destructuri Hierosolyma, ac tenentes singuli instrumentum lethiferum. Ezech. VI. 2. Denique 5.) nobis adstipulantur praeter versionem *Arabicam*, quanquam nec reliquae versiones antiquiores nobis contradicant, non solum R. ABEN-ESRA, sed etiam omnes fere Sanctae Ecclesiae Patres, Theologi, & Philologi plurimi, quorum numerum hic inire non vacat. Antequam vero ad alia descendimus, id

adhuc, ut adnotemus, operae pretium erit, *Dionysium Areopagitam*, quem *Pauli* discipulum fuisse ferunt, *Lib. I. de Hierarchia Coelesti* C. VIII. *Cherubim* ad supremam Hierarchiam referre, quandoquidem pro tribus, quas adfiruit, Hierarchiis, etiam tres distinctos Angelorum ordines esse perhibet, atque adeo in *suprema* Hierarchia Seraphim, *Cherubim*, & *Thronos*, in *media* Dominationes, Principatus, & Potestates, in *infima* vero Virtutes, Archangelos, & Angelos collocat, occasione non solum ex hoc nostro oraculo, sed aliis etiam v. g. *Es. VI. 1. 6. Dan. X. 13. Rom. VIII. 38. Ephes. I. 21. & C. III. 10. Col. I. 16. 1. Thess. IV. 16. Jud. v. 9. arrepta. Nos vero hanc sententiam Theologis discutiendam relinquimus, ne in foro Philosophico, ac Philologico jam constituti falcem in alienam messem immittamus, ac id saltem monemus, hoc nostro, & aliis citatis oraculis varia potius ministeria, & officia, ad quae obeunda Deus Angelos ordinavit, eorumque potestatem, ac dignitatem innui. Ceterum ex his unusquisque facile perspiciet, quid de nonnullorum Scholasticorum, ac imprimis THOMÆ P. I. *Quest. c. IIX. sq.* sententia iudicandum sit, cum tradunt, Angelos *infimae Hierarchiae* saltem a Deo ad ministeria sua in his terris exequenda emitti, nunquam vero *supremae Hierarchiae* Angelos, quia *supremi sint cubicularii Dei*. Contrarium potius tam ex *Es. VI. 6. Heb. I. 14.* quam ex nostro oraculo fati apparet: id quod etiam BECANVS C. I. *de Offic. Angelorum* inficiari nequit, cum *supremos non semper assistere Deo, sed etiam mitti testetur.**

§. VIII.

Eo jam praesentis instituti filium nos ducit, ut de *Cherubim* Paradisi localiter spectatis breviter differamus. Locus, quem occuparunt, a Sacro Scriptore ostenditur verbis: מקדם לנו הערן LXX. Interpretes reddunt: ἀπὸ πρῶτον τῆς παραδείσου τῆς τευφῆς i. e. e regione Paradisi voluptatis. Quibus

bus accedit *Interpres Textus Samaritani*, qui verba
 כַּדְּוּ: מִן: אֲדָמָה quae cum Textu Hebraeo plane con-
 veniunt, vertit: *Ex adverso ad hortum Eden. Targum*
 ONKELOSI exempli *Venetiani* habet כַּדְּוּ מִן הַגַּן אֲדָמָה i. e.
 (ut FAGIVS *Comment. ad loc. cit.* & MARINVS MER-
 SENNVS *Quaestionibus Celeberrimis in Genes. C. III. fol.*
 1406. reddit) *priusquam hortus Eden esset.* Comproba-
 re itaque videtur illam veterum Hebraeorum de Creatio-
 ne Angelorum opinionem, qui, cum teste R. MENAS-
 SE BEN ISRAEL *Probl. XXVI. de Creatione*, tres Angelo-
 rum classes 1.) *Intelligentias separatas.* 2.) *Angelos Ministe-*
rii 3.) *Angelos perniciosos* statuunt, hos cum inferno nu-
 gantur fuisse secundo die conditos, ac simul unicuique
 munus suum atque officium assignatum, hortum vero una
 cum plantis, & arboribus tertio demum die creatum fu-
 isse, adeoque *Cherubim* ante, quam hortus Paradisi fuisset,
 extitisse fingunt. conf. FAGIVS *loc. cit.* Sed quam frivola
 haec, nullisque idoneis rationibus suffulta opinio sit, qui-
 libet, qui rem digitis, ut ajunt, metitur, facile cognos-
 cet. Taceo nunc illud Rabbiorum commentum de ter-
 tia classe Angelorum secundo die creatorum, quando-
 quidem ex Scriptura minime demonstrari potest, quo
 praecipue die Angeli fuerint creati, ac istud saltem con-
 tendo, hanc assertionem vix, ac ne vix quidem cum ge-
 nuino oraculi nostri sensu cohaerere posse. Neque enim
 verbum וַיִּשְׂכַּן ullibi in toto S. Codice *creationis* signifi-
 tum habet, nec notio מְקוֹם ejusmodi quid infert, ut ex-
 inde Angelorum creationem exculpere velis. Urut ran-
 tisper largiamur particulam קִים nonnunquam, habita tem-
 poris ratione, *ante* significare, adeoque denotare *vel* rem,
 quae ante aliam existit, *sive* eam tempore praecedat, *aut*
 tempus, quod praesens longe antecedit, ita, ut inde quo-
 que in Sacra Scriptura passim de aeternitate adhibeatur,
 quia ea omne tempus longissimo veluti intervallo praee-
 dit,

dit; nemo tamen locutionis a Spiritu S. usurpatae adeo expers, tamque in litteratura Sacra hospes erit, qui in dubium vocabit, eandem particulam interdum etiam intuitu loci ejusmodi sensum importare, ut significet id, quod aliud loco antecedit, *vel* ordinem, & consequentiam rerum in eodem loco consistentium, quarum altera altera prior est, ac adeo ipsam *plagam* coeli mundique *orientalem*, quae reliquis mundi plagis anterior dicitur esse, non ideo, ac si Adamus facie versus orientem disposita, quae EDUARDI LEIGHII in *Crit. S.* p. 422. sententia est, creatus fuerit, ita, ut lumen ortumque Solis aspexerit, quo Oriens ipsi fuerit קרם seu *anterior mundi pars*, sed quia natura veluti edocti homines faciem, vultumque versus hanc mundi plagam obvertunt, ut Solem orientem intueantur. Accedit & illud, quod haec vox communiter apud Mosen hoc significato capiatur, denominatione insuper *partim* a situ tabernaculi, cujus janua spectaret Orientem versus, Oriens inde vocatur קרם, seu *anterior pars*, facta, *partim* etiam a fabrica, operationibusque mundi, in quo si Septentrionem cum Meridie comparas, hanc dextrae similiorem, ejusque proprietatibus praeditam judicabis, cum laeva scilicet sit pene immota, sive scribas, sive opus aliquod fabriceris, dextra vero semper valide moveatur; sic certe Septentrio iners est, dum Meridies, partesque ejus conspicuae, Sol & sidera Zodiaci diligenter agunt, ac moventur. Hinc etiam factum fuisse arbitramur, ut in litteratura Hebraica plaga mundi e regione Orienti opposita Occidens scilicet, ארור i. e. *post, retro*, Meridies ימין i. e. *dextra*, Septentrio vero שמאל i. e. *sinistra*, plerumque vocetur. Existimamus itaque verba מקרם לנן הערן omnium commodissime reddi: *ab orientali plaga horti Eden*. Exemplo autem Venetiano opponimus Targum exempli Complutensis, quod habet: מרמק לננתא רעין i. e. *ab orientali plaga horti Eden*. Nec a nobis dissentiunt antiquis.

tiquissimae Sacri Codicis Versiones Syriaca scilicet, & Arabica, quarum illa reddit: **حديقة لادن** i. e. *ab oriente*, haec vero: **جنان عدن** i. e. *a parte orientali horti Eden*. Eandem nobiscum tuentur interpretationem praeter Christianos plerosque ex Judaeis R. ABEN-ESRA, qui in *Comment.* loc. cit. vocem **קדום** exponit per **קדום** i. e. *ab oriente*, & R. SAL. JARCHI in *Comment.* loc. cit. **קדום** i. e. *ab oriente horti Eden foras*, seu extra horum. Unde B. LVTHERVS *Tom. VI. Opp. Witteb. fol. 52. col. 2* differit: *De vocabulo Mikkedem diximus supra, quod significet ab oriente, seu ab orientali plaga. Significat autem Moses, quod Paradisus habuerit viam, seu portam ad orientem, per quam ad hortum hunc aditus fuit. Sic in aedificatione templi apud Ezechielem fit mentio portae sanctuarii, quae respiciebat ad orientem, ut scilicet templum sentiamus figuram quandam Paradisi fuisse, quod Paradisus, si natura mansisset innocens, fuisset templum totius mundi.*

§. IX.

Restat, ut tandem ad Cherubim Paradisi modaliter, seu habitualiter spectatos accedamus, ac breviter jam ad liquidum deducamus, quo modo, seu quo habitu, ac ornatu isti Cherubim ad plagam orientalem Paradisi fuerint collocati. Moses eundem nobis indicat verbis: **וּמַתְלֵהֶם חֲרֻבִים** Maximopere autem *Interpretes* aequae ac *Critici* hic de eo ambigunt, qualis nam *ornatus*, seu *habitus* his vocibus denotetur. Nonnulli sensu litterali neglecto eas in sensum mere figuratum, ac (ut ajunt) allegoricum rapiunt, variisque modis detorquent. Sic PHILO *Libro de Cherubim Opp. Exegetic. fol. 85.* qui per Cherubim **ἢ παντὸς ἔξωθεν περιφορῶν** i. e. *totius coeli circumferentiam* intelligit, quandoquidem coelestes orbes motus inter se contrarios habeant, quorum alter dextrorsum fixa sidera, alter

D

vero

vero sinistrorsum erratica ferat, hic ῥομφαίαν Φλογίην i. e. *flammeum gladium* notare putat; τὴν κίνησιν αὐτῶν καὶ τῶ πλανῶντες ἔσαν τὸν αἰθιοι Φορῶν i. e. *motum eorum* (orbium) & *universi coeli perpetuum*. Qui tamen nec ipsemet sibi constat, cum statim subjungat: μήποτε δὲ καὶ ἑτέραν ἐκδοχὴν τὰ μὲν χερσὶν δηλοῖ τῶν ἡμισφαιρίων ἐκότερον --- ἡ δὲ Φλογίη ῥομφαία σύμβολον ἡλίου. Φλογὸς γὰρ ἂν πῦρ πολλῆς ἀκυστουάτατος γέγονε τῶν ἄνω, ὡς ἡμεῖς μὲν τὸν σύμπαντα περιδινοῦμεν κόσμον, i. e. *Quid autem si & aliter haec accipiantur? ut duo Cherubim significant utrumque haemisphaerium; --- igneus vero gladius Solem denotet, nam cum sit gladius flammeus, nihil est eo currente velocius, adeo, ut una die circa totum mundum volvatur.* A PHILONE non multum abhorrent illi, qui cum TERTULLIANO in *Apologetico*, & THOMA 2. 2. *Quaest.* 165. *art. ult.* locum hunc de *Zona torrida* ob nimium aestum inhabitabili, & impervia accipientes gladium versatilem significare, vel Solem, arbitrantur, qui aequinoctialem interfecat, in quo cum stet, ex utraque parte faciem versare videatur, vel cursum coeli, & Planetarum, qui huc illuc statim *mox* circa Septentrionem, *mox* Austrum versus deflectant. conf. PERERIVS *Comment. ad loc. cit. fol.* 228. & CORNELIVS a LAPIDE *Comment. ad loc. cit. fol.* 89. Judaei ac in primis R. MANASSE BEN JSRAEL *de Creat. Problem.* XIX. p. 77. hic *infernum* describi credunt, ac insuper comminiscuntur, flammam istam se convolvisse super Adamum a capite usque ad calcem, & a calce usque ad caput, ac perquam flebiliter exclamasse tum Adamum. *Quis liberabit filios meos ab igne isto flammante?* Ab his parum abludunt AMBROSIVS *Comment. in Psal. 118.* ORIGENES, LACTANTIUS, BASILIVS teste CORNELIO a LAPIDE *loc. cit.* RVPERTVS *Lib. III. C. XXXII.* & PANIGOROLLA apud CALOVIVM *Critic. 3. p.* 675; verba haec de *Purgatorio* interpretantes, quod ante

te Paradisum coelestem morientibus, necdum in hac vita plane purgatis Deus posuisset. NICOLAUS LYRANVS, & TOSTATVS in *Comment ad b.l. tropologice* ignes quosdam subterraneos ex montibus altissimis, quibus superstructus Paradisus fuerit, erumpentes, eundemque muri vel coronae instar circumdantes, intelligi existimant, ipsumque Adamum, cum propter Paradisum in cacumine montis situm, & magna aquarum copia quasi circumvallatum ipsemet descendere non potuisset, ab Angelis translatum Hebron versis migrasse, ubi creatus, atque sepultus fuerit. conf. MARINVS MERSENNVS loc. cit. Alii cum CONRADO PELLICANO לרש הרריב explicant de omnimoda facultate Adamo, ejusque posteris in Paradisum revertendi adempta, adeoque hic nihil aliud doceri sibi persuadent, quam quod Deus Praepotens ejusmodi impedimenta Adamo objecerit, ut omnis spes ad arborem vitae redeundi ipsi fuerit praecisa, quae impedimenta etiam invisibilia esse potuerint.

§. X.

Omissis his, & aliis innumeris explicationibus, quae maxime studium allegorifandi, non vero sensus literalis scrutinium produnt, sensui Spiritus S. magis congruum esse judicamus, si verba ista *historice* exponantur: *Flammam gladii*, aut *flammas gladiatorum*. Numerum enim singularem per *enallagen* pro numero multitudinis adhiberi exinde forsan colligi poterit, quod pluribus *Cherubim* custodia Paradisi credita fuerit, utut ceteroquin neque cum JONATHANE, qui כרויב i. e. duos *Cherubim* in custodia, constitutos fuisse, adeoque etiam procul dubio duas flammam gladiatorum adfuisse arbitratur, neque cum aliis Hebraeorum Magistris, qui septem apparuisse autumant, numerum definire nolimus. Id vero adhuc aliud quaeestionis habebit, utrum revera flamma quaedam ignea conspecta fuerit, quae ensis, aut gladii formam praesen-

præsentarit, an vero saltem gladius ferreus, seu chalybeus, qui ideo igne candens, & flammans dicitur, quod obterfum nitorem flammæ instar coruscavit, fulgoremque emisit. ONKELOS cum Syro posteriori sententiæ adstipulatur, quorum ille in *Chaldaica* translatione vertit. **ויהי שנת חרבא** i. e. *aciem gladii*; hic vero similiter reddit: **ספנאן גננאן** i. e. *aciem gladii*. His accedunt **SANTES PAGNINVS** in *Versione Latina*, **JUNIUS & TREMELLIUS**, qui in notis explicant: *Mucronem gladii*, **RIVETVS** *Exercit. XLI. in Genes.* **VATABLVS** *Comment. ad loc. cit.* **CASTALIO** in *Comment. ad loc. cit.* ut & in notis majoribus in *Genes.* **AVGVSTINVS MARLORATVS** in *Expositione Ecclesiast. ad Genes. C. III. Morig. 1584. fol. 41.* **MARCVS MERSENNVS** *Questionibus in Genes. fol. 1407. & Observationibus ad FRANCISCI GEORGII VENETI Problem. LXIV. fol. 86.* **JACOBVS GVSSETIVS** *Comment. Ling. Hebr. fol. 431.* aliique non infimæ conditionis *Critici*, ac *Interpretes Sacri*. Quin imo ipsamet versio *Lutheri*, ut & *Judeo-Germanica Amstelodami* edita istam interpretationem adstruit, quarum illa habet: *Mit einem blossen Schwverdt*; hæc, *mit blossen Schwverden*. Nobis vero magis placet explicatio **R. SALOMONIS JARCHI**, qui in *Comment. ad h. l.* ita disserit. **והיה שנת חרבא** i. e. *gladius vertens se, & flammens, quo arceat ab introitu horti*: *Targum* (reddit) **קט (aciem) secundum illud**: *Extrahere aciem hastæ* **SANHEDR.** (fol. 82. 1.) *Atque sic in lingua barbarica* (i. e. Gallica. Teste enim **R. JOSEPHO JACHIJA** natus fuit in urbe Gallica Trevis, f. Trevis in Provincia Narbonensi sita vid. **JUL. BARTHOLOCCII** *Biblioth. Magn. Rabbinic.* Unde sæpius in *Comment. gallica inter-*

interferuit) *lame*. Sed hic erit sensus mysticus, ac figuratus, cui litteralem praefero; Adeoque censemus, sensui Spiritus S. multo magis respondere priorem explicationem, qua nimirum asseritur, flammam quandam *materialem* (ut ita loquamur) apparuisse, quae gladii formam prae se tulerit. Si enim vim, ac proprietatem radices *vob*, a qua descendit, ad veritatis lancem examinabis, deprehendes, eam *proprie*, ac *originarie* flammam notare, quia *vob* non solum in *Kal* significat, *flammavit*, ut *Pf.* LVIII. 5. & CIV. 4. sed etiam in *Piel* *inflammare*, *succendere*, *comburare*, adeoque usurpatur de *conflagratione Sylvae Joel. C. I. 19. montium. Psal. LXXXIII. fundamentorum montium Deut. XXXII. 22. fornacis Mal. III. 1. &c.* Cum itaque primaeva, ac quasi connata vocis significatio flammam denotet; nihil sane obstabit, quo minus etiam in praesenti nostro oraculo huic vocis proprietati adhaereamus, sensumque litteralem unice sequamur, qui neque in fidei articulum impingit, nec charitatis praeceptum evertit, nec ipsemet evidenter, ac manifesto ex hoc, aut aliis Scripturae locis destrui potest. Et haec nostra assertio nititur auctoritate antiquissimarum versionum. Ut enim versio *Samaritana* rem rursus in medio relinquat, cum arcte premat vestigia Codicis Hebraei, eademque verba retineat: LXX. *vivalis* tamen, & *Vulgata* nostrae sententiae propius accedit, cum haec transferat: *Et flammeum gladium*, illa: καὶ τὴν φλογίνην ρομφαίαν. Consentiant etiam LACTANTIUS *Instit. Divin. Lib. II. C. XII.* JUVIUS & TREMELLIUS, qui priori interpretationi, quam antea sectati fuerunt, praeferunt posteriorem, & flammeum gladium hic innui contendunt, quia vox *Hebraea* semper pro *flamma* capiatur, PELARGVS, GLASSIVS, LVCKEMANNVS, aliique, & in primis, qui primo loco nominandus fuisset, B. LVTHERVS, qui in *Comment. ad loc. cit. Tom. VI. Opp. Witteb. Lat. fol. 52.*

col. 2. non male hunc in modum scribit: *Cherubim isti in via habuerunt non ferrum, quò arcerent accessuros, sed Labat gladii versatilis, h. e. fulgetrum, seu flammam, qualis est fulguris, quae incerta est, & praestringit oculos. Habuit autem ista flamma, seu fulgur hoc formam gladii, qui moveretur assiduo seu vibratur, sicut in Actis C. II. dicitur, linguas Apostolorum divisas apparuisse, tanquam ignes: & praebent quoque talem speciem volantes dracones. In hunc modum Angeli isti semper emisere flammam, quae in omnes partes agerentur, ne quis accedere posset.* His etiam non parum lucis affundit ista veterum Hebraeorum traditio, quando teste FAGIO *Comment. loc. cit. perhibent, per Cherubim Paradisi adumbratum fuisse ministerium Summi Sacerdotis, hunc si non recte administraverit tempore, quo in Sanctum Sanctorum intraverit, flammæ gladio & medio Cherubim, qui super arcam erant, prodeunte, fuisse absumptum; quorum verba haec sunt:*
וּכְנָקוּ בְיָדֵי כְרֻבִּימַי חֵטְאֵי יִשְׂרָאֵל כַּגֵּרְתֵי יִשְׂרָאֵל וְכַגֵּרְתֵי כֹהֲנֵי יִשְׂרָאֵל
וְכַגֵּרְתֵי מִלְּפָנֵי יְהוָה
וְכַגֵּרְתֵי מִלְּפָנֵי הָאֵלֹהִים

§. XI.


Utrum vero iste ignis gladii formam referens per fulgura e caelo emissus; an vero ex terra sulphurea, & bituminosa prope Paradisum excitatus fuerit, nos jam tante Scriptura S. discernere non possumus. Magis itaque temeraria, quam divinarum litterarum testimonio innixa est ista JOHANNIS CLERICI *Comment. ad loc. cit. fol. 39.* conjectura, quando docet, Deum misisse Angelos, qui Babylo-nici aut similis agri bitumen accenderent, eo-que quasi flammeo gladio ad abigendos homines uterentur. Quamvis enim plane inficiari nolim, ob bituminis copiam magnamque ignium rapidissimorum cognationem Babylo-nicam olim regionem inclaruisse, ut adeo ipsemet PLVTARCHVS in *Vita Alexandri* testetur, hanc regionem tanta bituminis, quod Naphtan vocabatur, multitudi-

dine abundasse. ὡς πρὶν ἢ θίγειν τὴν φλόγα δι' αὐτῆς τῆς
περὶ τὸ φῶς ἐξαπτομένης ἀυγῆς τὸν μεταξὺ πολλῆς ἀέρα
συννέκται --- ὡς τὰς μὲν κριθὰς χαμόθεν ἐκπηδᾶν, καὶ
ἀποπάλλεσθαι πολλὰκις οἰὸν ὑπὸ φλεγμονῆς τῶν τόπων σφυγ-
μῶς ἐχόντων i. e. ut saepe, cum flammam non attigerit, con-
cepto tantum lucis splendore vicinum aerem incendat --- ut
hordeum saepe de terra exsiliat, atque evibretur locis illis
ob internum scilicet ardorem pulsus quosdam patientibus;
Nihilominus tamen istud adhuc in disceptatione versa-
tur, (quam jam excutere ab instituto nostro alienum erit,) *utrum*
Paradisus in Regione Babylonica fuerit conditus. Palam enim, &
in confesso est hanc controversiam eruditos omni fere temporum
memoria exercuisse, ita, ut nonnulli eandem cum *ASCANIO*
MARTINENGO, *ODOLARDO BARBAROSA* in Insula *Zeilen*, alii cum *NICO-
LAO ABRAHAMO*, *JO. HENRICO HEIDEGGERO* in *Palestina*, alii cum
PETRO DANIELE HVETIO in *Mesene inferiori*, alii cum *SALOMONE*
VAN TILL in finibus *Mesopotamiae* vestigia ejus designent. Conf. eos,
qui integris commentationibus hanc quaestionem decidere fa-
tegerunt, quod praeter *THOMAM MALVENDAM* *JOANNES*
HOPKINSON in *descriptione Paradisi*, *JO. VORSTIVS* in *Exercitatione de*
Paradiso, *PETRVS HVETIVS* de *situ Paradisi terrestri*, *SALOMO*
VAN TILL, in *dissertatione Geographico-Theologica de situ*
Paradisi Terrestri, *STEPHANVS MORINVS* in *diss. de*
Paradiso terrestri, *JO. MARCKIVS* in *historia*
Paradisi, aliique plures conati sunt. Sufficit nobis ante
ex diviniore litteris quadantenus evicisse, flammeum
gladium fuisse. De hoc vero denique Sacer Scriptor nos
edocet, quod fuerit פתחת, *R. ABEN-ESRA* locum
hunc de gladio flammam quasi euomente, uti supra ostendimus,
exponens, hanc vocem reddit: פתח זה i. e. *anceps*, &
urraque parte acutus. ONKELOS, SAMARITANI.

RI.

RITANUS, SYRUS vocem in fontibus occurrentem retinent. ARABS eam transfert: $\text{سلي}^{\text{ل}} \text{كرو}$ i. e. *versantem se* a Rad. سلي *vertit, convertit, evertit, subvertit, invertit*; a quo etiam non dissentiunt L. X. X. qui vocem σφαιροειδην i. e. *quae vertitur*, hic usurpant. Quarum versionum auctoritati subscribere minime dubitamus, cum propriam, ac primaeivam istius significationem apte exprimunt. His ita comparatis notio כרוב nihil aliud denotabit, quam quod illa flamma, figuram gladii repraesentans, sese huc & illud in omnes partes sursum, seorsum, antrorsum, et retrorsum, dextrorsum et sinistrorsum moverit. Quem motum vero flammae isti a Cherubim inditum fuisse nemo facile negabit, quia, utut ignis motum quendam ex se, suaque natura habeat, non tamen adeo multiplex, tamque varius est, sed maxime uniformis, sursum tendens. Diversitas itaque hujus motus proficiscebatur ab Angelis moventibus, qui in omnes partes illum ignem agitarunt, ut tam dispari & vario motu eo majorem Adamo terrorem injicerent. Quamdiu autem ceteroquin hoc duraverit, num ad mortem Adami usque, quod nonnullis persuasum est, an vero ad tempus eluvionis istius universalis, ut LUTHERUS, et GERHARDUS putat, incertum est. Hoc si adstrues, Paradisum aquis diluvii penitus fuisse destructum ut concedas necesse erit; si vero prior opinio tibi arridebit, nec tam diu Cherubim Paradisi excubias egisse vero consentaneum sit, flamma forte ista Paradisum, quod facile fieri potuit, sequeretur fuisse consumtum.

בכרך ורלעי



94 A 7346

ULB Halle

3


000 544 418




V077

M. 86.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

בְּשׁ הַקְּבָה
EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE

CHERUBIM PARADISI

Ad GENES. Cap. III. vers. 24.

QVAM
PRO LOCO
IN AMPLISSIMA CELEBERRIMAQVE FACULTATE
PHILOSOPHICA BENIGNE AC UNANIMI
SUFFRAGIO SIBI CONCESSO
RITE AC SECUNDUM LEGES OCCUPANDO
D' XXIII DECEMBR A R S ∞ 1822
IN AUDITORIO MAJORI
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT
PRAESES

M. JO. GVILIELMUS HICK
ORINGA-HOENLOICUS E FRANCIS
RESPONDENTE
JO. GVILIELMO CRIEGERO
GORL. LVSATO SS. THEOL. STUD.

VITEMBERGAE
LITTERIS CHRISTIANI SCHROEDERI ACAD. TYP.

30

